Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 1011
Quelle:
Copyright:

Initium Prologi: *Quorumdam librorum gloriosi et incomparabilis Doctoris Augustini tractatus percurrentes, vt pigri lectores* &c. Materia compilationis ita enunciatur: *In hoc igitur libello primo de eo quid est deus agitur. Dein vero a fundamento confessionis per virtutum gradus vsque ad summum verticem que vita est eterna opus omne pertingit.* Denique concluditur: *Hunc ergo librum florigerum appellamus.* Et versu:

Florigerus liber hic non immerito vocitatur.
Nempe gerit flores quibus incola mens recreatur.

Adparet imitatio praecedentis *Floreti Bernardini*, sed arctiores sibi limites circumscripsit Imitator; *Capitibus* enim tantum XXVII. rem peregit, quorum I. incipit: *Da michi domine scire et intelligere* &c. et ultimum finit: *Sic inuenietur Sic aperietur Te prestante qui viuis* &c. Tum minio: *Explicit Florigerus — finitus Anno incarnationis domini Millesimo Trecentesimo Nonagesimo primo Per Bertholdum de Ratispona In Vigilia natiuitatis gloriosissime Dei genitricis* &c. Quod etiamsi abfuisset, Codicem tamen in *Germania* scriptum fuisse liqueret e verbis: *Maria gotez muter*, quae in Rubrica *fol.* 103. leguntur. *Bertholdus* hic non sane *Ratisponensis* est celeber ille *Franciscani* Sodalitii Ecclesiastes, nisi annus mortis 1272. *Waddingum* in *Scriptt. Ord.* fefellisset, quod non credo.

III. *fol.* 120. Excerptum Epistolae *Bernardi* CLXXIV. ad Canonicos *Lugdun.* de Conceptione B. *Mariae*, quae habetur edit. *Maur. Vol.* I. T. 1. *col.* 169. cui posterior manus stricturam adjecit in hunc sensum: *Jam non licere tam libere opinari, postquam Deus per sacrosanctum concilium basiliense determinauit beatam virginem sine originali conceptam.*

IV. *eod. fol.* p. 2. *Incipit Omelia beati Bernhardi super sermone Domini in cena.* Dic *Homiliae* XV. sed nobis ultimae duae in unam confluxerunt, et pro *Bernhardo* repone *Ogerium* Abb. *Lucedii*, ut habes edit. *cit.* T. V. *col.* 597. et in nostris his Commentariis plus vice simplici.

V. *fol.* 145. p. 2. Biga *Sermonum Bernhardi.* Prior: *Vigilate Fratres* &c. pro Fer. IV. Hebd. sanctae, ut edit. *cit.* T. III. *col.* 884. Alter: *Hij sunt dies* &c. pro Coena Dom. ut *col.* 890.

VI. *fol.* 149. *Incipit prologus Domni Bernhardi Abbatis de clara valle in opus sequens*, id est, Homilias *super Missus est.* Initium: *Scribere me aliquid* &c. Omnia integra, ut edit. *cit.* T. III. *col.* 732.

VII. *fol.* 160. Biga *Sermonum venerabilis Bede presbiteri.* Prior in Missus est. *Exordium nostre redempcionis fratres karissimi* &c. ut edit. *Colon.* 1688. T. VII. *col.* 335.